

3. Quoniam ecce insidias parauerunt animæ meæ, congregati sunt aduersum me **A** fortes, non transgressionis meæ neq; peccati mei gratia Domine.

4. Sine iniquitate currunt, & adornantur: exurge obuiam mihi, & vide.

5. Et tu Domine Deus exercituum, Deus Israël, exurge ad visitandas omnes gentes: ne benignus sis cuiquam iniquè præuaricanti. Selah.

6. Redeunt ad vesperam, tumultuantur instar canum, & circumueunt ciuitatem.

7. Ecce loquuntur ore suo, framea in labijs eorum, Quoniam quis audit?

**LECTIO.**

*Ver. 4.*

Sine iniquitate currunt, & adornantur.] Ebr. בְּלִי עֲוֹנָדֶת רַבְגָּנֶת Græc. & vulg. Lat. Sine iniquitate cœuri, & direxi. Hieron. Non egî iniquè, & illi currunt & præparantur. Sic & Iustin. Felix: Sine iniquitate current, & præparabuntur. Pagn. Absq; iniquitate cucurrerunt, & parauerunt se.

*Ver. 6.*

Tumultuantur instar canum.] Ebr. חַבְצֵי בְּכָלְבָן Græc. καὶ τούτων Vulg. Lat. Et famem patienter. Hieron.

**EXPLA-**

**NATIO.**

Primi duobus versibus ardenter ad Deum clamat, vt se ab inimicis eripiat. Anxietatem cordis & implorationis ardorem exprimit in eo, quod illud, *Eripe me*, toties repetit: *Eripe me*, ianquit: protege me, eripe me, salua me. Deinde & auxesis illa & exaggeratio emphatica est, qua dicit: *Ab inimicis meis*. Deinde exurgens addit: *Ab insurgentibus in me*. Tertio, *De operantibus iniquitatem*. Quartò quod adhuc amplius est: *Et de viris sanguinum*. Malitia enim inimicorum suorum ista exaggeratione notare voluit.

**OSSER.**

Admonemur hoc loco, si nos presserint inimici, infesti, malitiosi & crudeles, quò fugere debeamus: *Deus meus*, ianquit, *eripe me*, *protege me*, *salua me*. Pro fide sua erga Deum, deinde & pro nominis Dei ratione auxilium querit, & ope in implorat. Credit in Deum suum, fiduciam in illum collocat, atq; ideo illum & implorat. Et is, quia Deus est Davidis, & omnium, solus quoq; est erector, protector, & saluator Davidis & omnium, maximè credentium. Quisquis igitur ex animo potest dicere, *Deus meus*, is simul in necessitatibus constitutus & angustijs, illum implorare potest ac dicere: *Eripe me*, *protege me*, *salua me*.

*Ver. 3. 4. 5.*

*6. 7.*

His quinq; versibus tria facit. Primum, quia opem Dei implorauit, vt eriperetur ab inimicis malitiosis, viris sanguinum, contra se insurgentibus: subiicit periculi magnitudinem, & crudeles ipsorum conatus, versu 3. dicens: Quoniam ecce insidias parauerunt animæ meæ, congregati sunt aduersum me fortes. Periculorum extremum est, de vita periclitari, etiamsi id fiat aperto impetu: quanto magis si fiat per insidias & per conspirationem hominum fortium, malitiosorum & crudelium? Periculi præsentiam notat, quod dicit: Ecce insidiantur animæ meæ. Huc pertinet quod dicit vers. 4. Currunt & adornantur: & vers. 6. Redeunt ad vesperam (nam noctu ædes ipsius obsidebant, ibantq; & redibant, vt in huiusmodi malignis conatibus fieri solet) tumultuantur instar canum, & circumueunt ciuitatem, quib. verbis satellitum Saulis studium, sedulitatem & tumultuationem sese instruentum, conspiratiuim & circumcursitantium exprimere voluit. Et vers. 7. Ecce, ianquit, loquuntur ore suo, framea in labijs eorum. Q.d. Tanta sunt erga me malitia cordis referti, vt ore quoque illam expuant, nihil aliud quam de interimendo me loquentes: quib. etiam si gestus & studia illorum nihil insidiarum præferrent, satis tamen produnt, quid moliantur. Deinde imminet querimonij innocentiam suam vers. 3. cum dicit: Non transgressionis meæ, neq; peccati mei gratia Domine. Et vers. 4. Sine iniquitate currunt: hoc est, sine alicuius peccati mei culpa. Nihil deliqui in eos, persequuntur innocentem. Tertio, persequitur implorationem cum auxilijs sui, tum vindictæ reproborum vers. 4. & 5. Auxilium petit, cum dicit: Exurge obuiam mihi, & vide: vindictam vero cum subiungit: Et vide. Et tu Domine Deus exercituum, Deus Israël, exurge ad visitandas omnes gentes, ne benignus sis cuiquam iniquè præuaricanti. Selah. Ardorem fidei notant, quod dicit: Et tu Domine, qui Deus es exercituum, Deus Israël, quæ epitheta pulchre faciunt ad id, quod petit contra fortes illos Saulis satellites, & contra alienos à populo Dei, viros reprobos, & nihil minus quam Israélitas quos gentes vocat.

**OBS. 1.**

*Ver. 3.*

*Non transgressionis meæ gratia.*] Non erat omnino omnis peccati expers David, verum in hostes suos non peccauerat. Hæc est gloria innocentum erga hostes suos, qua & coram Domino vti possunt, tanquam omnium iustissimo iudice. Nam plurimum ad impenrandum, nedum sperandum auxilium Dei facit testimonium innocentis conscientiæ.

**OBS. 2.**

*Ver. 4.*

*Vide Luc.*

*15. in patre,*

*filiō reuerte-*

*ti occurrente*

*Exurge obuiam mihi, & vide.*] Anthropopathia est, qua interim pulchre exprimit, quo affectu implorandum sit auxilium Dei: eo videlicet, quo filiolus patris sinum petit, sicut perterritus metuq; percussus fuerit: cui & pater obuiam accurrit, vt simili protegat filiolum, & videat a quo petatur, ac vindicetur.

**OBS. 3.**

*Ver. 5.*

*Et tu Domine Deus exercituum, Deus Israël.*] Admonemur hic, quomodo nominibus & epithetis Dei vti debeamus. Premebatur exercitu Saulis, igitur implorat eum, qui Dominus est exercitum: impetrabatur ab alienis à populo Israël, itaque inuocat opem ab eo qui Deus: id est, Seruator est Israélis, Discimus & nos ad hunc modum eum implorare, qui oinnes exercitus in manu sua habet, qui populi sui Deus est.

**OBS. 4.**

*Metaphora*

*sumpta de*

*principibus,*

*qui subditos*

*suos inui-*

*sunt.*

*Ad visitandas.*] Non dicit, *Ad perdendas*: sed, *Ad visitandas*. Tanta enim erat illorum malitia, vt nihil defuerit vindictæ, nisi vna visita Dei. Q.d. Tantum visita gentes istas: hoc vbi feceris, nihil addubito, quin sis supplicium de illis sumpturus. Notat malitiam hostium suorum esse apertam, plenam, maturam, ac dignam quæ visitetur iudicio Domini.

**OBS. 5.**

*Ver. 5.*

*Ne benignus sis.*] Non orat, ne misereatur peccantium, sed ne faueat, ne benignus sit, deploratis & malitiosè innocentem opprimentibus. Potest & sic legi illud: אל תחנן כל בגדך אֵין Non eris propitius: *Quoniam omnes iniquè præuarieantur*: vt illud in nominatio legatur, Omnes sunt iniquè præ.